

Venetia Mundi Splendor

Musica e politica a Venezia tra Medioevo e Umanesimo
Music and Politics in Venice between the Middle Ages and Humanism

ENSEMBLE OKTOECHOS
LANFRANCO MENGA, direttore / *conductor*

Testi / *Texts*

**1) Ave corpus sanctum
gloriosi Stefani protomartiris**

Exaudi protomartir melodiam
alta voce canencium devote
nostram que precem intuere piam
virtutes cuius undique sunt note
per mundi girum adesto sancte mitis
tu protector Francisci ducis nunc Veneciarum
hunc tu sanasti huius sistis
rector huic apparuisti hoc est clarum
o magnum mirum.

O corona martirum
ducem nostrum dirige
et nostram civitatem

precamur te gloriose levita
guberna hunc nos et civitatem
esto tu nobis dux via et vita
roga pro nobis Dei pietatem
et pie insta tu Venetorum civis
porro extas tui sunt ipsi ergo
ipsos ama sanguinis nomen
protho fusi gestas ob hoc in celis es
tibi nos clama pater nec dista.

Adolescens protomartir Domini
requiescens in Sancto Georgio
audi nos psallentes tuo nomini
qui sumus in hoc mundi naufragio
rogamus dulciter salva (...) abbatem
ibidem eius actus dirige hunc gubernare.
Devotus tuus is existit quidem
defende ipsum a morte eterna
orat te iugiter presta ei in hoc mundo vili
Deo vitam gerere placibilem
congrega ipsum tuo in ovili
Deitatem ut cernat laudabilem
cum sanctis pariter.

2) Marce, Marcum imitaris

probitatis radio,
Nec ab ipso disgregaris
Equitatis madio.
Miles dignus approbaris
Virtutum efficacia.
Princeps iustus sublimaris
Karismatum gratia
Tu ducatus generosi
Mundi pariferiam
Circumducis virtuosii
Ad prolem Corneriam.
Tu michi benignitatis
Manum porrexisti.
Tu Venetie dignitatis
Gradum addidisti.
Sic celestis claritatis,
Cui te commisisti,
Deus augeat largitatis
Liliumque majestatis,
Quod pie meruisti. Amen

3) Venetia, mundi splendor,

Italiae cum sis decor,
in te viget omnis livor
regulis munditiae.
Gaude mater, maris salus,
qua purgatur quisque malus;
terrae ponti tu es palus,
miserorum bacula.
Gaude late virgo digna
principatus portas signa;
tibi soli sunt condigna
ducalis dominii.
Gaude victrix externorum
nam potestas venetorum
nulli cedit perversorum
domans terram, maria.
Tu devincis manus fortis
pacem reddis tuis portis
et dirumpis faucem mortis
tuorum fidelium.
Pro te canit voce pia
uti statum in hac via
vel conservet et Maria
Iohannes Ciconia.

Michael cui Steno domus
tu ducatus portas onus
honor tibi quia bonus
vitam duces celibem.
Phebo compar princeps alme,
tibi mundus promit salve,
spargis tuis fructum palme
victor semper benignus.
Clemens iustus approbaris
decus morum appellaris
tu defensor extimarum
fidei catholice.
Bonis pandis munus dignum
malis fundis pene signum
leges suas ad condignum
gladio iustitiae.
Sagax prudens mitis pater
lex divina cum sis mater
mentis virtus tibi frater
zelator rei publicae.
Sedem precor tibi dari
deo caeli famulari
eius trono copulari
per aeterna secula.

4) Ut te per omnes coelorum

plagas sequamur maximo
cultu lavandum, lumina,
Francisce, nostro spiritus
tu qui perennis gloriae
sedes tueris omnes patris
qui cuncta nutu contulit,
perversa nobis erue.
Christi letum quod sumpserat
vulnus receptum per tuum
nobis benigne porrige.
De te canens gloriam,
sit illa felix regula
fratrum minorum nomine,
cujus fuisti conditor,
duret per aevum longius. Amen

Ingens alumnus Paduae,
quem Zabarellam nominantur,
Franciscus almi supplicat
Francisci adorans minima,
sis tutor excelsis favens
servo precanti te tuo
quem totus orbis praedicat
insignibus praeconiis.
Audi libens dignas preces
doctoris immensi, sacer Francisce,
quo leges bonas, Anthonis stirps accipit,
silvas per altas alites
in mole clausos corporis
ducens viam coelestium,
rector veni fidelium. Amen

5) Gloria in excelsis Deo

Et in terra pax hominibus
bonae voluntatis.
Laudamus te. Benedicimus te.
Adoramus te. Glorificamus te.
Gratias agimus tibi
propter magnam gloriam tuam.
Domine Deus, Rex coelestis,
Deus Pater omnipotens.
Domine Fili unigenite, Jesu Christe.
Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris.
Qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Qui tollis peccata mundi,
suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris,
miserere nobis.
Quoniam tu solus Sanctus,
tu solus Dominus,
tu solus Altissimus, Jesu Christe.
Cum Sancto Spiritu,
in gloria Dei Patris. Amen

6) Sanctus

Sanctus, Sanctus, Sanctus
Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli, et terra
gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit
in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

7) Petrum Marcello Venetum,

Romano cretum sanguine,
pastorem nostrum curie
laudemus bene meritum.
Exultet urbs Euganee
adventu tanti presulis,
exultet plausu, jubilis,
voces sonent etheree.
Sirps leteris Marcellina,
tali alumno decorata;
cujus gradu sublimata,
illi tota te declina.
Plaudat Patavinus chorus,
laudes Jovi summo pangant,
voce leta celum tangant,
venit enim pastor verus.

O Petre, antistes inclite,
vere virtutis speculum,
quo nostrum inter seculum
nos mina recto limite.
O pater amantissime,
nos oves tuas dirige
et aberrantes corrige,
judex cunctis justissime.
O cleri primas Padue,
nos tuos rite regula,
peccantes coge ferula,
sordida cuncta dilue.
Sint laudes Regi glorie,
qui nos te dignos redidit;
qui melon istud edidit,
adesto tuo Ciconie.

8) O Petre, Christi discipule,

prime pastor ecclesie,
funde preces quotidie
pro Petro nostro presule.
O princeps apostolice,
turbe Cephas dominice,
pastorem nostrum dirige,
quem omni malo protege.
Da sit in cunctis providus,
corpore et mente candidus,
omni virtute splendidus,
in bono semper fervidus.
O Christe, o Christe,
ductor omnium,
perenne presta gaudium;
pastorem, clerum, populum
salva per omne seculum. Amen

9) Excelsa civitas Vincentia,

gaude et laetare,
tanto sponsata sponso,
decorata decore!
Quem virtutum sublimitas
tibi destinavit,
Franciscum Marinipetro
pro te adornavit
scientia dulcedine,
concordia et pace vera.
Exultet coelum laudibus,
aer, pontus et terra,
musicorum nobilium societas
praeclara psallentes:
Eia, eia, beata nobis gaudia!

10) Stirps Mocenico, Veneti

tibi tenemur debiti
quod noster dux est genitus de te,
princeps magnificus.
O Christe, grates agimus
tibi que vota solvimus,
qui nos dotasti pro duce
tanto rectore consule.
Hunc nobis serva incolumen,
ducatus nostri columen,
quo stante tuti stabimus
et nil adversi dabimus.
O sancte Marce, presidem
ad usque terre limitem
Thomam profer dominio,
nunquam mereat prelio.

Ducalis sedes inclita
es Venetorum predita
Toma duce, quo supera
locaris inter sydera.
Hoc duce tuta permanes,
hostes hoc duce perymes,
hoc duce ad alta venies,
tibi cuncta subicies.
Voto precamur sedulo
diu consistat solio,
longo vivat imperio,
excelso Jove previo.
Letare, festa, jubila,
senatus et plebs veneta;
Thome sub alis condita,
nunquam videbis nubila.

11) Aurea flamigeri

iam excedis sydera
incunctanter poli
fama tua inclita,
princeps mirifice
Johannes Francisce,
quem clara prosapia
prelustrat Gonzaga.
Que tanto nites lumine,
manant illa sublimia
primum justitia
que super interstitia
te tollit flammantis etheris,
alterum prudentia
omnis intenti syderis
que candore miro
tranat lumina;
vicit in hec infima
fortitudo tua.
Triumphantis militie
sibi innata modestia.
Iamiam celestia
summa spe rapuisti
quod terre orbem devicisti
miris virtutibus;
in tuis laudibus refove,
dilige, et quos diva clementia
prestet, ferto
in eterna palatia.
O felix Mantua
ex cuius rutilanti corpore
paradisi flumina:
que super interstitia
te tollit flammantis etheris,
alterum prudentia
omnis intenti syderis
que candore miro
tranat lumina;
quodcumque terribile.
O decus nobile
quod exornat divifica
sibi innata modestia,
iamiam celestia
summa spe rapuisti
quod terre orbem devicisti
miris virtutibus;
nunc occupatos bonos
et quos diva clementia
tibi tecum in eterna palatia.

12) Credo in unum Deum

Patrem omnipotentem.
Factorem celi et terræ
visibilium omnium
et invisibilium.
Et in unum dominum
Iesu Christum,
filium Dei unigenitum.
Et ex patre natum
ante omnia secula.
Deum de Deo,
lumen de lumine,
Deum verum de Deo vero.
Genitum, non factum,
consubstantialem patri
per quem omnia facta sunt.
Qui propter nos homines
et propter nostram salutem,
descendit de celis.
Et incarnatus est
de Spiritu Sancto
ex Maria virgine;
et homo factus est.
Crucifixus etiam pro nobis:
sub Pontio Pilato
passus et sepultus est.
Et resurrexit tertia die
secundum scripturas.
Et ascendit in celum,
sedet ad dexteram Patris.
Et iterum venturus est cum gloria
iudicare vivos et mortuos:
cuius regni non erit finis.
Et in Spiritum Sanctum,
dominum et vivificantem:
qui ex Patre Filioque procedit.
Qui cum Patre et Filio
simul adoratur et conglorificatur,
qui locutus est per prophetas.
Et unam sanctam catholicam
et apostolicam ecclesiam.
Confiteor unum baptisma
in remissionem peccatorum.
Et expecto resurrectionem mortuorum.
Et vitam venturi seculi. Amen

13) Carminibus festos muse

juvat edere cantus
 et letos celebrare dies:
 huc ferte, sorores,
 carmina digna viro
 quem nunc pulcerima tellus
 finibus Ausoniis
 clarum et pietate serena
 extulit emeritum celsaque
 locavit insula.
 Inclite qui nunc es,
 summos egressus honores,
 dux Venetum Francisce potens
 quem Fuscara proles condidit illa,
 genus claro devexit Olimpo
 teque tuos nostri referent
 ad sidera versus;
 salve, magne pater,
 nostri decor unice seculi,
 tu nobis segura quies,
 tu legibus almis nunc
 populis das jura pius,
 non arma tiranny
 horida concutient
 in festa colonis,
 te duce scena ruet,
 surget gens aurea mundo.

O requies populi,
 multos specate per annos,
 te patricii cives,
 decus et tutela senatus,
 magestate ducem cuncti
 expectare serena.
 Ingenii munus
 te dulcis gratie lingue
 pretulit ante alios
 fama super ethera notum,
 digna nequit calamus
 tante preconia laudi reddere,
 se terras fundet tua fama per omnes;
 in populosque dabit nullum
 tacitura per evum,
 magna domus Venetum felix.
 O principe tanto,
 plaudite nunc, Veneti,
 cantet longo ordine sacrum
 turba virum festosque dies
 celebremus ovantes, at te,

summe parens urbis
 cui summa potestas,
 Marce, decus Venetum
 longos oramus in annos:
 per populos sublimes
 eat iter, numina firment.

14) Christus vincit,

Christus regnat,
 Christus imperat.
 Domino nostro Francisco Foscari
 Dei gracia inclito duci Venecie,
 Dalmacie atque Croacie,
 et dominatori quarte partis
 et dimidie tocius imperii Romanie,
 salus, honor, vita et victoria. Amen

15) [v. n.5]**16) Plaude, decus mundi,**

Venetum clarissima turba,
 sorte ducem solita
 sacra cum feceris altum
 Italiae sidus,
 cui munera magna dedere
 Jupiter ipse,
 Venus florens dulcisque Minerva,
 utque tibi princeps
 magno luceret Olimpo
 vim dedit et gratam populo
 Mercurius almam.
 Neque minus generosa domus
 tu Fuscara gaude,
 cum nunc lucescas Francisco,
 Francisco principe facto.
 Felices patriae quas temperat
 urbs Venetorum plaudite,
 nam populis successit
 dux pius aequus,
 mille quadringentis
 domini currentibus annis
 vigenisque tribus, cum sol
 ter quinque per orbem
 inerat et tauri lustrabat
 cornua fortis.

17) Ecclesiae militantis

Triplum

Ecclesiae militantis,
Roma, sedes triumphantis
Patri sursum sidera
Tamen cleri resonantis
Laudem Pontifici dantis
Promat voce libera.

Gabrielem quem vocavit,
Dum paternum crimen lavit,
Baptismatis sumptio,
Eugenium revocavit,
“Bonum genus” quod notavit,
Pontificis lectio.

Quod consulta contio,
Qua nam sancta ratio
Sic deliberavit
Ut sola devotio
Regnet in palatio
Quod Deus beavit.

Certe Deus voluit
Et in hoc complacuit
Venetorum proli;
Sed daemon indoluit,
Quod peccatum defuit
Tantae rerum moli.

Dulcis pater populi,
Qui dulcorem poculi,
Crapulam per horres,
Pone lento consuli
Rem gregis pauperculi,
Ne nescius erres!

Pater haerens filio
Spiritus confinio
Det prece solemni
Gaudium Eugenio,
Perfecto dominio,
In vita perenni. Amen

Motetus

Sanctorum arbitrio
Clericorum proprio
Chordo meditati;
Nequam genus atrio

Recedat ludibrio
Umbrae petulanti.

Nam torpens inertia
Longa quaerens otia
Nescivit Eugenium;
Sed iuris peritia
Cum tota justitia
Sunt ejus ingenium.

Hinc est testimonium:
Pacem quaerit omnium
Exosus piaculi,
Et trinum daemonium
Daemonis et carium
Pompam vincit saeculi.

Qui coleris populi
Scutum, dic, quod attuli
Tibi, pater optime,
Sacrum det, quod oculi
Tui instar speculi
Cernant nitidissime.

Eja te, pulcherime,
Quaerimus tenerrime,
Moram longi temporis
Dulcimur asperrime,
Nescio quo, ferrime,
Ad fulmentum corporis.

Una tibi Trinitas
Vera Deus unitas
Det coeli fulgorem,
Quem linea bonitas,
Argentea castitas
Sectavit in morem. Amen

Contratenor

Bella canunt gentes,
querimur, pater optime, tempus:
Expediet multos, si cupis, una dies.
Nummus et hora fluunt
magnumque iter orbis agendum
Nec suus in toto noscitur orbe Deus. Amen

18) Viva, viva San Marcho glorioso

Col populo bressano
magnanimo e soprano,
Viva, viva sempre victorioso.

E tu Bressa bella e triumphante
Lauda Dio de tanta victorioso.
Po' che forte stata sei e constante,
Coronata serai con gran glorioso.

Viva, viva...